



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Örigenus Tōn Eis Tas Theias Graphas Exēgētikōn Apanta Ta Ellēnisti Heuriskomena

Cui idem præfixit Origeniana, Tripartitum opus, quo Origenis narratur vita,
doctrina excutitur, scripta recensentur

Origenes

Rothomagi, 1668

II. De tribus libris in Job, deque vetusto ipsorum Interprete.

urn:nbn:de:hbz:466:1-25059

A quod plurimas Origenis scriptiones studiose abolentibus ipsius adversariis & defensoribus; his quidem ut ejus errores, illis ut præclara eius opera invidiose celarent; multas vice versa lucubrations utrique paribus de causis nomini ipsius subdiderunt. Nos vero postquam Origenianorum scriptorum examen semel suscepimus, ad nostram pertinere duximus curam, suos ei foetus legitimos restituere, quod hæcenus fecimus; supposititios vero ex ejus familia segregare, quod Appendice ista facturi sumus.

II. In Latina Origenis editione duplex genus Commentariorum in librum Job reperitur. Prius in tres discretum est libros, & duo priora Iobi capita cum tertij portione complectitur, ab incerto Interprete Latinitate redditum: posterius totum persequitur Iobi librum, & brevibus Commentariolis (Scholia prope dixeris) exponit, & Ioachim Peironium interpretem habet. Spurium utrumque opus, & emendatum Origenis nomen falso jactans. Prioris certe stilus Origeniani dissimilis est; creber quippe artis oratoriae figuris; quales in Tomis nullas admittit Origenes, non multas in Homiliis. Discrepat quoque sententiis: nam libr. 2. Christum ait prædicasse tribus annis & dimidio; cum Origenes libr. 4. *ὅτι ἀπὸ τριῶν*, cap. 1. & Homil. 32. in Luc. anno duntaxat uno cum aliquot mensibus id muneris Christum obiisse dicat. Post Ariana hæreseos exortum prodidisse, & ab Ariano quidem fuisse scriptum manifeste hæc evincunt: *Tria cornua fecit Diabolus in typum atque figuram trionymia illius sectæ, triamque Deorum hæresis, quæ universum orbem terra in modum tenebrarum replevit, quæ Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum aliquando tanquam tres colit, nonnumquam unum adorat, quemadmodum Grecorum lingua memoratur, Triada, vel Homusion. Istam Cergo Trinitatis sectam, & hæresim atque infidelitatem jam olim de longe designans versatissimus ille Diabolus tria cornua misit ad Job depradandum. Sic namque etiam nunc memorata trionymia hæresis præsertimpradatur atque expugnat Ecclesiam.* Luciani martyris cum laude meminit, Origenis temporibus multo recentioris: *Ita consummatus est, inquit, beatus atque gloriosus Lucianus, lucidus vita, lucidus & fide, lucidus etiam tolerantie consummatione. Ob hoc enim Lucianus cognominatus est, tanquam lucidus, aut proprio lumine sibi fulgens, aut alij lucens. Hic namque beatus duodecim diebus supra testas politus extensus, tritidecima die est consummatus, alijque innumeri sancti Martyres eodem modo mortem transientes consummati sunt.* Ex quibus conjectura ducor ad suspicandum operis huius auctorem ex eo esse genere Arianorum, qui Luciani discipulos sese profitebantur, & Lucianistæ dici amabant. De his ita Epiphanius Hæc. 76. cap. 3. *οἱ μὲν γὰρ ἀπὸ τοῦ ἀπερωτῶν τοῦ πᾶτος δουκίας τῆς, καὶ ἰστέρας ἀποβῶντες τῆς οὐρανοῦ, καὶ τῆς ἀπὸ τοῦ πᾶτος οὐρανοῦ ἐκτίθενται τῆς ἐκ τῆς δουκίας τῆς ἐκ τῆς οὐρανοῦ καὶ τῆς οὐρανοῦ καὶ τῆς οὐρανοῦ.* Alij enim ex Arianis, ipsi qui à Luciano & Origenis doctrinam suam acceperant, conjuncti Asterio cuidam de grege Sophistarum, qui in Persecutione Maximiani à fide defecerat. Quapropter Ariani deinde Lucianistæ nuncupati sunt, ut apparet ex Mario Victorino libr. 1. adv. Arianos. Qui autem Coluthiani appellabantur, non à Luciano illo traxerunt nomen, ut opinati sunt quidam, sed à Colutho Hæresiarcha Arij socio, cujus meminit Epiphanius Hæc. 69. cap. 2. Distinguantur porro hi Lucianistæ ab aliis Lucianistis, Luciani cujusdam antiquioris & Marcionistæ discipulis, cujus hæresim Epiphanius persequitur. Scriptorem trium librorum in Iobum, Latinum existimat Erasmus, eumque esse Maximinum hariolatur, cujus extant Disputationes cum Augustino: *Fuisse Latine nam, inquit, imprimis ipse operis gustus indicat: vix enim quisquam ita commode vertit Græcæ, ut oratio Latina non sapiat alicubi suam originem. Interpretatur interdum Græcas voces, sed ita ut Latinum agnoscat: veluti quum docet nos quid & qualis sit adamantus.* Sic se habet ille locus: *Adamantus interpretatur in Græca lingua, Indomabilis, inflexibilis, inalterabilis, &c.* Addere poterat & alterum supra à nobis depromptum, quo ludit in voce *Lucianus*, eumque à luce dictum scribit. Erasmo assensu sunt Robertus Cocus in Censura, & Edmundus Albertinus in Opere De Sacra-

D *Lib. 2. in Evange- s. s. Origenis, cap. 1.*

E *Post v. in Appar. Sac. in Hilario.*

F *Id si Post v. in Appar. Sac. in Hilario.*